

## CONCIO III.

## BLASPHEMIE GRAVITAS.

I. Gravissimum est peccatum ratione offensi. — II. Ratione offensæ. — III. Ratione offendentis. — IV. Ratione pertinaciæ. — V. Ratione difficultatis expiandi.

## THEMA.

*Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic blasphemat. Matth. IX.*

Nescio fere, auditores, vituperemne an laudem potius Scribas, qui in hodierno evangelio blasphemie Christum arguunt. Una enim ex parte vituperio digni sunt, qui Christum absque causa, quem Deum credere debebant, blasphemum esse judicant : ex altera vero parte laudem promerentur, dum zelo honoris divini hostes se blasphemie monstrant. Bene igitur gladium evaginant, sed innocentem feriunt : zelum bonum habent, sed non secundum scientiam. Quare nos, auditores, in uno imitabimur Scribas, in altero execrabimur. Blasphemiam horrebimus : proximum tamen nostrum non temere judicabimus. Blasphemiam illi horrebant, uti blasphemiam non erat : nos qui auribus nostris tot blasphemias passim audimus, nonne magis indignabimur et clamabimus : *Hic blasphemat?* Non dubito ; si modo intelligamus, quam grave scelus sit blasphemiam ; quod nunc explicabimus.

I. Gravissimum est hoc peccatum. Primo, ratione offensi ; quia directe committitur in Deum. Unde ex hoc capite gravius est omnibus peccatis, quæ offendunt proximum, furto, homicidio, adulterio, etc. Multis modis gravior est læsio regis, quam formicæ : sed longe adhuc pluribus gravior offensio Dei, quam hominum. Et quis est homo ut audeat blasphemare Deum et provocare ad iracundiam, ranuncula leonem ? Sane Judæi a blasphemiam adeo abhorrebant, ut ea audita obturarent aures (ne scilicet audientes fierent blasphemie participes) et exclamarent, quasi invocantes Deum, ut tantum malum vindicaret, quem admodum fecerunt, Act. VII. cum S. Stephanum blasphemiam loqui existimabant : quem etiam propterea prætermissis juris ordine necdum a concilio damnatum, furens rapuerunt ad necem et lapidaverunt. Iidem etiam vestes dilacerabant, cum blasphemiam audiebant ; ad significandum, quod cor hominis scindi præ mœrore et audientes etiam dolore ac lugere deberent propter tantum scelus. Hoc inter alios fecit Ezechias rex, cum audivit nuntium regis blasphemantis et spernentis Deum altissimum. Cui etiam respondit Isaias ex

ore Dei : *Cui exprobrasti? Quem blasphemasti? Contra quem exallasti vocem tuam et elevasti in cælum oculos tuos contra sanctum Israel?* Nocte illa venit angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia virorum. Rex vero cum rediens Niniven adoraret in templo Nesroch deum suum, occisus est a filiis suis, IV. Reg. VII. Scidit etiam Caiphas vestimenta sua, cum existimabat Christum locutum esse blasphemiam. Quid nos Christiani? Tot quotidie audimus blasphemias, ut si ritum Judæorum observare vellemus, nemo facile per unum diem vestem integram servare posset, quam scindere non deberet. Quare ne miremur, si quando elades publicas immittit nobis Deus, has enim promerentur blasphemie quotidianæ, impune passim usitatae. Si enim morte plecti merentur, qui paquillum contra regem affigunt : quanto magis blasphemii in Deum.

II. Ratione offensæ ; quia maximam Deo infert injuriam. Velenim attribuit ei aliquid, quod nulla ratione debet attribui. Deoque ignominiosissimum foret, veluti Epicurus, cum affirmavit Deum esse desidem : Pharisei, cum dixerunt Christum in Beelzebub ejicere dæmonia : Lutherus et Calvinus, qui Deum auctorem peccati fecerunt : Joannes Wiclef, qui asseruit si vera in eucharistia foret transsubstantiatio, Christum fore malignum illum Deum, qui bona a Deo creata in nihilum redigeret : Alphonsus X. rex Hispaniæ, qui in illa verba prorupit : Si principio mundi adfuissem, multa melius, ordinatiusque condita fuissent : Fridericus II. imp. qui dicere ausus est, tres fuisse insignes impostores, qui humanum genus seduxerunt : Moysen, Christum, Machumetem, apud Lipsium, mon. polit. l. I. c. IV. Vel admittit Deo, quod ei debetur, veluti justitiam, potentiam, providentiam, bonitatem ; veluti Rab-saces, qui negavit Deum Judæis opem fere posse : item impii illi, qui Bononiæ in convivio negarunt gallum assum in frusta concisum a D. Petro, imo et a Christo restitui integrum posse ; qui gallo mox sibi restituto et alarum concussione jusculum in ora impiorum executiente, lepra percussus sunt, Vincent. lib. XXV. c. LXIV. vel tribuit creaturæ, quod tribuendum Deo : vel conviciatur ea quæ ad Deum spectant, uti sacramenta, passio et vulnera Christi, sancti eorumque reliquiæ. Ad hæc enim audita quis non cohorrescat ? Quis non jure timeat ne cælum ruat vel terra dehiscat ? Taceo ingentem ingratitude, quam continet hoc peccatum, dum linguam sibi a Deo datam ad Dei laudem aliosque saluberrimos fines, usurpat ad Dei contumeliam.

III. Ratione offendentis ; quia est peccatum ex

certa malitia, et committitur cum furia quadam. Pleraque alia peccata committuntur ex ignorantia, quam etiam allegare poterant Judæi, qui Christum in crucem sustulerunt, quod nimirum servili forma inceserit, etc. vel naturæ et carnis infirmitatem ; quomodo filius contra parentum voluntatem se despondens, tantum quærit suas nuptias, non offensam parentum, quos mallet non offendere. At vero qui blasphemant, nihil horum allegare possunt ; norunt enim Deum et Christum in cælis regnantem, nec moventur ad olasphemiam ex appetitu honoris, pecuniæ, voluptatis vel vindictæ. Quid enim prodest illis blasphemiam ? Vel quid nocuit illis Deus ? Imo quid ooni habent, quod non ab ipso habent ? Hoc expendens S. Polycarpus martyr cum jam in ignem mittendus urgeretur ut saltem execrare vellet Christum, respondit : « Octoginta et sex annis servio ei et nihil me læsit unquam : quomodo possum maledicere et blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit ? » Euseb. lib. IV. hist. cap. XV. Unde abbas Poemen docuit juvenem de blasphemiam tentatum, ita respondere : *Vellem quidem blasphemare sed non habeo causam blasphemandi Deum.* Furie igitur et insano similis est blasphemus, qui sævit in innoxium, imo in optimum patrem, et velut obligatis oculis irruit in Deum. Hinc blasphemus latroni dixit alter : *Neque tu times Deum?* Olla succensa est, quæ cum impetu et ardore ebullit et sursum aquas projicit. Patet malitia blasphemorum et blasphemandi modis : aliqui enim per septem milliones sacramentorum blasphemant : alii fossas, turres, trimeres, et plaustra implent sacramentis, etc. An hoc non est ex composito, et cum furia peccare ?

IV. Ratione pertinaciæ, quæ in hoc peccato continetur. Audiamus Judæos Christum blasphemantes, Jo. VIII. *Nonne benedicimus nos, inquit, quia Samaritanus es, et dæmonium habes, q. d. certi sumus, nec aliud nobis persuaderi patimur, nec aliud doceri volumus. Ideoque : Tulerunt lapides, ut jacerent in eum. In quem locum S. Augustinus ait : Tanta duritia quo curreret nisi ad similes? Lapidem erant, et lapides sustulerunt. Audiamus Julianum apostatam, invisibili telo lethaliter vulneratum et sanguinem e vulnere promanantem versum cælum ejaculantem : *Vicisti, Galilæe, inquit, vicisti : item : Saturare Nazarenæ.* Ecce victum se a Christo profitetur, nec tamen veniam ab eo petit, nec se victori subjicit. Obstinatio blasphemum impediit.*

V. Ratione difficultatis expiandi hoc peccatum. Legimus enim, Matth. XII. Dominum dixisse : *Spiritus blasphemie non remittetur*, hoc est, diffi-

cile et rarissime ; quod ex prædictis facile ostendi potest. Nam primo, ipsum auctorem gratiæ et veniæ largitorem oppugnat, rejicitque quod nihil est aliud, quam regem, a quo morti adjudicatus es, conviciis proscindere. Quo modo veniam impetres ? Nihil est aliud, quam medicum, a quo curandus es, repellere. Quis tibi sanitatem promittat ? Isthæc nimirum causa fuit, cur Dominus in cruce fructum suæ crucis, salutem scilicet, non impertierit uni ex latronibus quem impertit alteri ; quia nimirum ille sua blasphemiam reputavit a se medicum. Sed nec pro tali facile quis orare audeat, uti dixit Heli, I. Reg. II. Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ? Videretur enim talis non habere zelum honoris divini ; et deberet potius cum creaturis omnibus insurgere contra blasphemum. Sane bonus latro insurrexit, quomodo potuit, contra socium blasphemantem, et redarguit quidem illum, sed pro illo non est ausus Dominum precari.

Secundo, ea ipsa vituperat blasphemans, per quæ sanari et Deo reconciliari debet, passionem, sanguinem, vulnera et sacramenta Christi, quæ ipsum tanti constiterunt : bonitatem item et misericordiam Dei. Has omnes medicinas pedibus conculcat, et in venenum sibi commutat, dum exsibilat et comminatur. Nonne quodammodo pontem destruit, per quem ipsemet transire ad cælum debet ? Hinc non raro fit, ut blasphemii absque omni sacramentorum remedio abripiantur ex hac vita : quia illo se indignos reddiderunt per eorum contemptum et irreverentiam, ut impleatur illud Psal. *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.*

Tertio, ex sua natura nihil habet blasphemiam, quod venia dignum sit ; neque enim ignorantiam, neque infirmitatem potest allegare. Ex mera malitia et electione proficiscitur, quemadmodum peccatum angelorum lapsorum, qui nequaquam ex ignorantia vel naturæ debilitate, uti Eva et Adam, sed ex mera electione peccaverunt ; ideoque redempti non sunt a Christo ; homines redempti sunt. Ad hæc blasphemiam cum furia perpetratur. Quare sicut canis retibus implicatus difficile explicari potest, quia morsibus impetit liberatorem suum : ita et blasphemus quomodo expectet remissionem a Deo, in quem dentes suos acuit ? Quæ etiam causa fuisse videtur, cur Dominus in cruce blasphemantem latronem non emendarit, et servarit a gehenna. Canis intricatus erat, mordens liberatorem.

Quarto, duritiam cordis fere annexam habet : unde non recipit medelam.

Addidit Christus blasphemiam in Spiritum s.

non remittendam, neque in hoc neque in altero sæculo, hoc est, puniendam hic et ibi; id quod plurimis exemplis doceri potest. Sufficiat nunc unum et alterum: « Villanovæ in provincia Viniensis, moritur anno 1613. notarius quidam publicus Calvinianus, qui sacerdotes pro defunctis, dum ad sepulcrum deferrentur psallentes blasphemie irridere, ac rudentibus asinis æquiparare consueverat. Hic cum effertur, ecce apparet magnus asinus coloris fusci, qui nulla ratione abigi potest, quantumcumque id jubeat minister, qui que unde venerit, aut cujus fuerit, nemo scit; is quidem circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, ac sepulcrum ejus aliquoties circumiens: qui demum eos, qui funus erant comitati, ad defuncti domum redeuntes secutus evanescit. » Refert Gualterius, sæculo XVII. pag. 824.

« Quidam alius ad turpem concubinatum In-dam feminam pellexerat, quam cum aliquando ad infaustum torum vi minisque compulisset, provecta nocte cælum tonitru concuti, tremiscere terra, densique inter tenebras micare ignes, et per fenestrarum rimas infundi, ut ferirent oculos animosque adulterorum. Cadit interea largifluus imber, cum grandi grandine crepitante super tectum. Hic mulier subito pavore correpta: Virgo, inquit Maria fer opem, tuere me, obsecro. Ait vir ferox et impius mediam complexus: Tace sis stulta, scilicet auxilium nullum ferre potest Maria. Abscidit extremam vocem fulmen subitum quod intonuit, et adhuc loquentem avellit ab amplexu muliereculæ quatuorque aut quinque passus ejecit extra lectum, et flamma concipit arida nutrimenta; surgit mulier perterrita, miserum in-clamat, excitat, pervellit, nempe metu exanimatum, non exanimem putabat, etc. Tandem reperiunt hominem hiantem ore, sine ullis dentibus, sine lingua, omnia præterea membra ita soluta et fluxa, ut vel leviter contrectata manum sequerentur. » Refert Jo. Pelecyus, in turri Bab. c. VI. ex Francisco Benzio, in ann. 1588. In vita S. Joannis Chrysost. narratur, cum Chrysostomus laudaret SS. Trinitatem, quæ nobis suppeditat annuos fructus, respondisse ei Anthemium: *Non Christus, sed elementa mundi suis temporibus eos produciunt deorum providentia.* Nondum finem acceperat ejus sermo, cum maligno spiritu possessus, et terræ allisus, misere jacebat rugiens, lacrymarum et timoris simul causa iis qui aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem dentibus, spumam vero ex ore turpissime expuens. S. Gregorius Turon. lib. IV. hist. Franc. XVI. simile recenset: « Leo, inquit, quidam Pictaviensis, qui juxta nomen suum tamquam leo erat, in

omni cupiditate sævissimus, fertur quadam vice dixisse, quod Martinus et Martialis confessores Domini nihil fisci viribus utile reliquissent: sed statim percussus a virtute confessorum, surdus et mutus effectus, amens est mortuus. Venit enim miser ad basilicam S. Martini Turonos, celebravitque vigiliis, dedit munera; sed non eum respexit virtus consueta: cum ipsa enim qua venerat infirmitate, regressus est. »

## CONCIO IV.

CUR FUGIENDUM SIT TEMERARIUM JUDICIUM.

I. Quia non videmus aliorum corda. — II. Quia non sumus aliorum judices. — III. Quia forte, et nos aliquando rei. — IV. Quia videmur nos ipsos reos prodere. — V. Si iisdem vitiis obnoxii essemus, non tanta apparerent. — VI. Quia gravis judicantium pena. — VII. Quia magnum non judicantium præmium.

## THEMA.

*Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Matth. IX.*

Mirum est, auditores, quod tam proni simus ad judicandos et condemnandos alios in cogitatione nostra; cum tamen ad actum judicandi et condemnandi exteriorem et executorium difficulter procedamus. Quis enim nescit quam inviti condemnent capitis reum judices, virgamque super ipso frangant? Quam ægre adstipulentur assessores ac senatores? Et nos si sententiam in reos capitis dicere deberemus, non dubito quin omnes, licet eorum maleficia nobis constarent, eos absolveremus, et patrata scelera si non excusarem, saltem extenuarem. Et quis nostrum posset reum rogo adjudicatum impellere in ignem? Quis in præcipitium? Et tamen interim in tribunali mentis nostræ tam faciles et proni sumus ad condemnandos proximos, etiam non convictos ut nihil sit nobis communi. Quo quidem nostro judicio nihil aliud agimus, quam quod fratres nostros pænæ ignis adjudicemus, sive purgatorii sive ipsius tartari, quantum in nobis est. Quæ est causa, cur Dominus in hodierno evangelio clamet contra nos: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? q. d. ut quid vos homunciones suggeritis clam Deo, ut condemnet fratres vestros? Quousque irrucitis in hominem? Interficiatis universi vos.* Psal. LXI. Quare ne hujusmodi sanguinariii judices, imo carnifices fiamus, audiemus rationes, quæ nos detertere a temerario judicio debent.

I. Quod nos detertere debet, est, quod non videamus aliorum corda et intentiones. Has autem nisi videamus, non possumus judicare de externa actione, quia ejus bonitas vel malitia ab intentione pendet. Apelles suas picturas in publico proponebat, ut transeuntium judicia audiret; cumque aliquando sutor transiens carperet quid in calceis imaginis, patienter id quidem tulit: sed cum is pergeret etiam in erure aliquid cavillari, prosiliit Apelles: et: *Ne sutor ultra crepidam*, inquit, *judicet*, Plin. l. XXXVIII. c. X. Nos de externis et sensui subjectis rebus tantum et de his quidem vix judicium ferre possumus. Solus Deus intuetur cor, ergo ne ultra crepidam, ne supra ea, quæ foris patent, judicare præsumas. Vides enim opus, nescis intentionem; unde facile errabis, v. g. vides aliquem tardius ingredi in templum, et mox judicas eundem dormiisse usque ad octavam. Sed quid si mediam noctem vel amplius in laboribus consumpsisset? Videamus alium e templo egredi post concionem, indeque statim colligis negligere eum missam? Sed quid si prius jam missam audiisset? Vides alium in foro pullos sibi emere, et mox judicium fers, hominem deliciis et gulæ deditum esse. Sed quid si infirmus sit, et hoc pabulo indigeat? Vides alium in facie rubedinem contraxisse, inde mox ebriosum somnias. Sed quid si rubor ille alio de fonte, velut ex inflammato hepate, absque ulla hominis culpa prodeat? Rursum vetantur aliqui religiosi barbam alere, alii abscondere, utriusque ob certas causas; num tu hos vel illos taxabis? Videamus exempla Scripturæ. Vidit Assuerus Aman corruisse super lectulum reginæ; indeque judicavit, velle eum reginæ vim inferre; sed graviter in hoc deceptus est. Supplicare voluit Aman reginæ, non afferre vim, Esther VII. Vidit Heli sacerdos Annam labia moventem, non audiit orantem: inde mox conjecit esse temulentam, et ipse fœde aberrans; orabat enim Anna suppressa voce, mulier sancta et sobria, nequaquam temulenta, I. Reg. I. Viderunt Melitenses viperam adhærere manui Pauli, inde mox clamaverunt eum homicidam esse, sed vanissimo commento. Ubi Paulus excussit viperam sine læsione, Deum exclamarunt, Actor. XXVIII. Vidit S. Henricus imp. per triduum egredi e thalamo conjugis Cunegundis aliquem specie militis, unde suspicatus esse amasium, suspectam habere conjugem cœpit; sed delusum se a dæmoneprehendit, qui speciem militis præ se tulerat, ut conjugis virginitatem infamie nota aspergeret. « Ephrem vir memorabilis (scribit Amphilochius, in vita S. Basilii, apud Sur. mense januario) cum esset eremi actor, quodam Sancti Spiritus edoc-

tus lumine, vidit hominem Basilii amantem, eumque percontatus, cognovit ex illo admiranda illius sancti viri opera. Itaque sine intermissione petiit sibi a Deo revelari, cujusmodi esset Magnus Basilius. Vidit ergo in extasi columnam ignis, cujus vertex attingebat cælum, vocemque superne allatam audivit: Ephrem, Ephrem, columna ignis, quam vidisti, Magnus Basilius est. Mox igitur adhibito sibi interprete, (nesciebat enim Græce) venit ad magnam ecclesiam celeberrimæ urbis Cæsareæ, ipsa Sanctæ Theophania sacra solennitate, et ingressus clanculo, conspexit Magnum Basilius in ecclesiam procedentem, atque socio suo: Frustra nos, opinor, mi frater laborem hunc suscepimus. Hic namque cum tali ordine constitutus, non est quemadmodum per visum didici. Cernebat enim eum indutum stola candida, clerumque sacrum, qui juxta illum erat, candidis amictum vestibus Basilio autem procedente, ille stans in loco templi secreto, desperabat visionis ipsi ostensæ veritatem, ita secum dicens: Nos qui portavimus pondus diei et æstus, nihil consecuti sumus: et hic tantis stipatus turbis, tantaque præditus dignitate ignis columna est? Id mihi quidem prodigiosum videtur. Eo igitur talia secum agitante, sanctus episcopus mittit ad eum suum archidiaconum, dicens illi: Abi ad portam, quæ respicit occidentem, et illic in angulo templi inveniens abbatem opertum cucullo et cum eo alium quemdam barbatulum, statura humili, et cætera addidit, quæ ad ejus vultum pertinerent; dicensque ei: Velis ingredi in presbyterium, vocat enim te pater tuus archiepiscopus, B. Ephrem ut per interpretem cognovit, quæ dicebantur, respondit: Erras, frater; nos enim peregrini sumus. Abiens ergo archidiaconus, retulit hæc ad virum sanctum. Interea illo legente sacros codices, vidit S. Ephrem linguam igneam loquentem per os ejus. Rursusque vir beatus dicit archidiacono: Vade et dic ei: Domine Ephrem, velis te intro recipere in s. presbyterium. Obstupescens autem S. Ephrem ad visionem, dedit gloriam Deo, et flexo poplite, ait: Vere magnus Basilius, vere columna ignis Basilius, revera Spiritus sanctus loquitur per os ejus. » Errare igitur et sancti in hoc judicio possunt.

Denique, virtus in medio, in quodam indivisibili quasi consistit; unde facile contingit, ut melius prodigium, alius judicet avarum; quia sicuti cum aromata librantur, semper lanx vel nimis elevatur, vel nimis deprimitur, et difficulter invenitur medium; ita fit in judicio, quo aliorum virtutes ponderantur. Grandis similitudo est inter triticum et zizania, dum adhuc in germine

sunt, ideo vetuit Dominus zizania evelli, quia non facile discernuntur.

II. Quod tu non sis iudex illius. Id objiciebat Moysi Hebræus ille, Exod. II. *Quis constituit te principem et iudicem super nos?* Item apost. ad Rom. XIV. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cædit.* Similiter Jacobus, cap. IV. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum tuum?* Pater ipse: *Non iudicat, sed omne iudicium dedit Filio*, Joan. V. Dum ergo tu iudicas, Christo sceptrum eripis, et te iudicem ac regulam æquitatis constituis, et perinde agis, ac si pars una ferre sententiam vellet ante iudicem pro suo humore et placito. Grave utique delictum committeres, si in principis aut episcopi alicujus jurisdictionem involares, sive in alieno territorio jus diceres; quanto igitur gravius erit eripere jurisdictionem Deo et sibi arrogare? Legimus certe in vitis ss. pp. questum hac de re aliquando Deum. Cum enim quidam eremicola in temerarium iudicium ex falsis iudiciis, quæ aut viderat vel audierat, prolapsus esset audivit subito vocem ex alto dicentem sibi: *Homines mihi rebelles facti in meam jurisdictionem perditæ involarunt.* Terribile etiam exemplum referunt vitæ pp. I. V. libello IX. et Dorotheus, serm. VI. de monacho, qui cum audisset quemdam in peccatum fornicationis lapsum obiisse, mox eum condemnavit sine ulteriori examine. Verum paulo post apparuit ei angelus cum anima illius defuncti, dicens: *Ubi jubes, ut mittam fratrem illum culpabilem, quem addixisti?* Mox ille: *Peccavi, ignosce mihi.* Cui angelus: *Surge, ignoscit tibi Deus, sed vide, ne de cætero ad iudices quemquam, priusquam Deus ad iudicet eum.*

III. Quod in alio carpis, id fortasse in te quoque est, vel fuit aliquando, aut erit, esseve poterit: atque adeo te ipsum condemnas, et instar Perilli taurum tibi ipsi fabricas. Unde Seneca, I. VII. de benef. ait: *Fortasse vitium, de quo quæreris, in sinu invenies, si te diligenter excusseris uti merito in tuum ipsius sinum inspuere possis ac debeas, et quoties de alio succurrit improba cogitatio, dices: Hæc et ipse commisi.* Hæc gentilis ille. Hoc medio coercuit a pravo iudicio Pharisæos Dominus, Joan. VIII. scribendo in terram; ita ut unus post unum omnes exirent. S. Ambrosius putat, ep. LXXVI. scripsisse id Matth. VII. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Alii putant scripsisse idem quod dicebat: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat:* alii teste Carthusiano scripsisse: *Terra iudicat terram.* Igitur efficacissimum medium contra iudicium temerarium putavit Christus esse cognoscere proprios defec-

tus. Hinc Moyses abbas e deserto accersitus a cujusdam monasterii præpositis, ad sententiam dicendam in fratrem, qui peccaverat, venit saccum arenæ plenum in tergo bajulans, et rogatus quid portaret: *Peccata sua*, dicebat, *quæ ipse via ferre valeret, nedum aliena iudicare.* Quo audito remissum est fratri delictum apud Marulum, I. V. c. XII. Quare si hoc ipsum observarent homines, unus etiam post unum exiret, nec facile quis de proximo iudicaret, quemadmodum et Alexander Magnus cum intellexisset a Dionide pirata, quod ipsemet longe major prædo esset, eum vita donavit, et liberum dimisit. Cassianus, I. V. de instit. renunt. c. XXX. narrat Machatem virum sanctum, sed severi nimis et suspicacis iudicii, ita a Deo punitum et correctum fuisse: *« Machates, inquit Cassianus, cum institueret, nos neminem diiudicare debere, intulit tria fuisse, in quibus discussit vel reprehenderit fratres. Primo, quod uvam (morbi species et pellicula in faucibus affecta est) sibi nonnulli paterentur abscindi: secundo, quod haberent in cellulis sagum: tertio, quod oleum benedictes sæcularibus exposcentibus darent; unde justo Dei iudicio hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam ægritudinem uvæ contrahens et tabescens, coactus sum ait, ea abscindi permittere: cujus etiam infirmitatis obtentu, sagum quoque habere coactus sum; oleum etiam benedicere et supplicantibus dare, cum alia ratione eorum importunas preces evadere non possem. »* Unde concludit: *« Quibus mihi manifeste compertum est, iisdem causis ac vitii monachum obligari, in quibus de aliis iudicare præsumperit. »*

IV. Quod videaris te ipsum proderc, te simili vitio laborare. Unde Ecclesiastæ, cap. X. ait: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Sic enim furiosi omnes putant furere, ideoque omnes vocant stultos, eosque irident quasi ipsis stultiores: et qui assidue inebriantur, non putant alios abstinentes semper et sobrios esse posse: qui scortationibus operam dat, neminem posse continentem esse putat: qui usaris, rapinis et furtis, omnes cavillatur quasi rapaces et injusta bona possidentes. Quæ enim, quæso, sunt illi, qui vitam cœlibem impossibilem dicunt, nisi scortatores et adulteri? *Ut enim corpora*, ait Dorotheus, *doctrina XVI. melancholici et mali humoris, quidquid cibi sumpserint, illud in choleram convertunt, sic animæ male dispositæ unaquæque res quamvis bona et utilis, suo vitio nocet.* Nimirum palato corrupto etiam optimi cibi desipiunt. Solis radii ingredienti per fenestram pictam variis coloribus colores varios repræsentant: sic et facta proximi iudicamus pro affectu

nostro. In fabulis etiam asinus iudicavit meliorem esse cantum cuculi quam philomelæ, quoniam et ipse absurdæ vocis est. Contra S. Joseph videns uterum sponsæ intumescere, nihil temere iudicavit, sed suspendit iudicium; quia nimirum ipse quoque justus erat. Et hoc est, ni fallor, quod voluit dicere Salomon, Eccles. c. X. *Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.* Tametsi enim secundum naturam cor in uno homine eandem quam in altero sedem habet, dicitur tamen cor sapientis in dextera, quia omnia proximi gesta in bonam partem capit: cor stulti in sinistra, quia omnia in sinistram et deteriorem rapit. Unde id explicans mox subjungit: *« Sed et in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit omnes stultos æstimat. »* Cor in dextera habuit S. Bernardus de Quintavalle socius S. Francisci: videns enim sordide vestitum dicebat sibi: *Hic patientius paupertatem tolerat quam tu:* videns pretiose vestitum aiebat: *Hic forte sub veste delicata melior est quam tu sub tunica rudi,* Bonav. in vita S. Francisci, c. VII.

V. Si te indueres alienis vitiiis, non tanta apparerent: sicut maculam vel vitium in propria veste non ita advertis, uti in aliena. Achab rex bene advertēbat in alio peccatum, quo is commissum sibi virum perdidit, sed in seipso id non agnovit, III. Reg. XX. Similiter et David cum audiit, a divite quodam ereptam esse pauperi oviculam, statim exclamavit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc.* At hoc ipsum facinus in se minime agnovit, qui non ovem sed uxorem abstulerat Uria, II. Reg. XII. Accedunt et Judæi, qui cum audissent filium patrisfamilias ab agricolis, quibus locata erat vinea illius, interemptum esse, mox sententiam in eos dixere: *Malos male perdet et vineam suam locabit aliis agricolis,* uti scribit Matth. c. XXI. At cum hanc illorum sententiam Christus repeteret, uti Marcus scribit, c. XII. et Lucas, XX. atque in ipsos retorqueret, quasi seipsos condemnassent, responderunt: *Absit, ut habet Lucas.* Antea ergo cum ignorarent dici in se parabolam, condemnarunt reos; postea cum adverterunt dictam esse in se, seipsos absolverunt. Cautē o Judæi. Quis enim seipsum cædat? Ita nimirum in pari crimine alios damnamus, absolvimus nos ipsos; quia in aliis cernimus, quæ in nobis non advertimus. Unde quidam apud Terentium dixit: *Tu si hic sis, aliter sentias.* Affectus fere in causa est, quod de uno bene, de alio male sentias. Saul pessime de Davide sensit, Jonathas vero optime: dissensit a patre filius, quia hic amore, ille odio prosequēbatur Davidem: Jonathas in dextera habuit cor erga Davidem, Saul in sinistra. Obser-

vavit quidam manum dexteram aptiorem esse ad capiendum et attrahendum; manum vero sinistram ad aversandum et repellendum. Hoc apparuit in Saule, illud vero in Jonatha. Saul repulit Davidem, quia cor in sinistra; Jonathas eum attraxit, quia cor in dextera erga Davidem habuit.

VI. Pœna iudicantium: quia iudicio duriore iudicaberis: nimirum sicut tu iudicasti proximum immitius. Unde ad Rom. II. ait Paulus: *Inexcusabilis es, o homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicio iudicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Non quidem respectu culpæ proprie, sed respectu pœnæ; eam enim pœnam sustinebis, cujus alterum reum iudicaveris. Adulterum quem temere suspicaris? Adulteri pœna teneris, etc. Sicut: *Qui prophetam in nomine prophetæ suscipit, mercedem prophetæ accipiet*, Matth. X. Accommodat se Deus iudiciis nostris: et qua mensura mensi fuerimus aliis, eadem remeietur et nobis, Matth. VII. Sic etiam III. Reg. XX. ait Achab ad prophetam: *Hoc est iudicium tuum, quod ipse decrevist;* scilicet mortis supplicium; interim tamen hac sententia seipsum condemnavit: quia id ipsum egerat, quod in propheta condemnavit.

Cromwelus Henrici Angliæ regis VIII. impii impius consiliarius legem iniquissimam tulit, ut si quis etiam absens atque indicta causa læsæ majestatis damnaretur, non minus rite damnatus haberetur, quam si omnibus adhibitis legitimis formulis per duodecimvirale iudicium condemnatus fuisset. Quam legem cum adversus alios a se latam arbitraretur, contra seipsum tulit. Paulo enim post de perfidia suspectus et delatus, secundum legem suam quam tulerat indicta causa, jussu regis publico supplicio crematus est, Florim. Raymund. I. VI. de orig. hæc. c. IV. Quod ergo isti evenit, hoc merito timere etiam ii possunt, qui alios temere iudicant. Vitali monacho de prostibulo egredienti (quo non libidinis causa, sed ut meretrices a turpi quæstu avocaret, ingressus erat) quidam, qui temere iudicabat eum sinistra intentione ibi fuisse, colaphum impegit; sed illico propterea a dæmone obsessus fuit, donec a Vitale liberaretur.

VII. Præmium non iudicantium; quia Matth. VII. dicitur: *Nolite iudicare, et non iudicabimini.* Quantum hoc bonum! Quid non dare debeamus ut effugere iudicium Dei severum queamus? Nihil opus dare: *Nolite iudicare, et non iudicabimini.* In oratione de s. synaxi Anastasii Sinaite, apud Baron. anno 599. refertur de quodam religioso, qui etsi cæteroqui negligenter vixerat, in mortis tamen articulo lætus et securus erat: